

Placidi, deinde ipse operam continuavit. Inveniuntur praeterea in hoc volumine schedulae quaedam eiusdem argumenti ab aliis adiectae tempore posteriore.

XIII. Vincentius MASCIOLA canonicus Casinas natus 3 Mart. 1765, mortuus 2 Febr. 1827 ab a. inde 1784 (hunc enim, mutatum tamen deinde in 1784, indici voluminis inscripsit) syllogen elaboravit servatam hodie Casini apud Dominicum Lenam philosophiae professorem et a fratris eius filio Loreto Lena summa benignitate et liberalitate ita mihi permissam, ut Romae sollicite excuteretur. Inscripta est sic: 'Casinates inscriptiones, quas Gruterus e Martini Smetii antiquarum inscriptionum collectione et Aldi Manutii orthographia descripsit, et nunc ad patriam exornandam emendavit, supplevit, exposuit aliisque ab aliis relatis et quam plurimum inde effossis auxit Vincentius Masciola Casinas'. In id volumen, quod habet paginas numeratas 93 praeter alias multas postea vel insertas vel in fine adiectas, tamquam in ephemeridem relata sunt epigrammata Casini et in agro Casinati eruderata ab a. fere 1742 (cf. n. 5465) ad a. 1825 (v. n. 5494). Prima igitur non Masciolae sunt, distinguunturque etiam in volumine manus duae adeoque adnotationi a priore scriptae ad n. 5226 a posteriore subnotatur: 'ita scripsit Alexius Brocchi, sed ego, si placet, lego' cet. Sunt igitur haec duorum hominum Brocchii et Masciolae; citavi tamen omnia sub huius nomine, cum tradita accurate secerni nequirent neque separando multum profecissemus. Eiusdem enim indolis eiusdemque doctrinae uterque auctor fuit, scilicet totum volumen compilatum est eruditione pro re non spernenda, industria autem summa exemplis optime factis versibus ad archetypa divisus, nexibus hiatibusque fideliter repraesentatis. — Ex hisce collectaneis utilissimis et optimis profecta sunt quaecumque Casinatia ediderunt Carolus VERTECHJ (*memorie su di Casino e suo foro detto Eraclea*. Neapoli 1841. 8. pp. 133) et ROMANELLIUS (*viaggio da Napoli a Monte Casino ed a*

Isola di Sora. Neapoli 1849. 8. pp. 469), quem Romanellium ipse Masciola subinde nominat; item pleraque eorum, quae a Francisco Xaverio Labriola accepta GVARINIVS inseruit commentario XIX (miscellanea archaeologica Italo-Latina. Neapoli 1845).

XIV. Anglus HOARE quae itinerario inseruit (*a classical tour*. 1819) parum profuerunt.

XV. I. B. Ianuarius GROSSI quae edidit in libro *la scuola e la bibliografia di Monte Casino* (Neapoli 1820. 8. pp. 224), omnia (n. 642*. 650*. 651*. 652*) ficticia sunt, ut alia ab eodem auctore in lucem prolata.

XVI. Franciscus Xaverius LABRIOLA effossionibus in his partibus inspicendis per multos annos praepositus praeter ea quae ex Masciolanis desumpsit, alia quoque de ipsis saxis descripta tam Casinatia quam Interamnata et cum Guarinio (cf. c. XIII) et cum instituto archaeologico communicavit.

XVII. Philippus PONARI archipresbyter Casinas non solum dux comesque mihi fuit Casini et per agrum Casinatem lapides scriptos indaganti, sed etiam historiae Casinatis, quam typis fere absolutam adhuc in scriniis retinet, partem epigraphicam, id est inscriptiones Casinates numero CV (p. 153—185), Interamnates numero XXVII (p. 187—195) mihi utendam concessit. Ad eam referuntur adlegationes numero solo adscripto; nec tamen citavi nisi in iis, quae propria habet.

XVIII. Casinum Montemque Casini cum in itinere Italico plerique adeant, multi ex amicis et huius operis adiutoribus epigrammata ibidem descripta mecum communicaverunt, in his Ambroschius, cuius exemplaria nactus sum inter Kellermanniana, frater meus Tycho, Bethmannus, Ed. Philippi, quorum copiis in editione priore uti potui, item qui postea ibi fuerunt Brunn, Nissen, Detlefsen. Ipse denique a. 1876 eo perveni lapidesque adhuc prostantes diligenter recognovi.

5159 [= 4221] basis rotunda et magna prope S. Germanum sub monte Casinati.

M · PAPIVS · M · F · L · MATRIVS · L · F
DVO · VIRI · I · D
· SIGNVM · CONCORDIAE · EX · C · C · RESTITVENDVM
COERAVERVNT · EIDEMQ · DEDICAVNT
5 ET · BASIM · GRADV · ARAM · SVA · PECVNIA
FACIVNDA · COER · EIDEMQ · PROBAVER
A · D · IIII · EID · OCT · CN · DOMIT · C · ASINIO · CoS u. c. 714

Descripsisse videtur de lapide unus Smetius cod. Neap. p. 107, ed. 34, 7. Referunt praeterea Waelsch ms. f. 34; Pighius cod. Luzac. p. 82. 106, cod. mus. f. 34, ann. 3, 484; Ligorius Neap. 35 p. 204, Taur. 5; Panvinius fast. ad a. 714; Manutius orth. 294, 15 (ex eo Gattola p. 739 n. 24); Ursinus

de famil. p. 182; corrector Smetianus in exemplo bibl. publ. Neap.; Grut. 100, 8 e Smetio et ms. Pigh. et Cittad.; Comus apud Mur. in epistula 17 Sept. 1740 et in ed. 1989, 3. Reliquos auctores cum constet pendere a Smetio, idem pertinere crediderim etiam ad Cittadinium, cuius exemplum fere latet, et Comum, qui turpiter deformavit.

Variam lectionem hanc solam attuli: 3 EX·S·C Panv. Citt. — 4 IEIDEMQVE Panv. — 5 SVA om. Waelsch. — 6 EIDEMQVE Waelsch., IEIDEMQ· Manut. corr. Smet., IEIDEM (om. Q·) Panv. — Comi exemplum hoc est: M·PANVS·GEL·MATTIVS·D | DVOVIRI·D | SIC·CVM·CONCORDIAE·EX | C·C·RES | COERAVERVND·EIDEM reliquis omissis.

3 ex c(onscriptorum) c(onsulto); similiter n. 5460 a. 5204.

5160 [= 4222] in cantharo magno lapidis Tiburtini. Ad S. Germani ante ecclesiam ACC. et POSTERIORES. Ibidem adhuc. Masciola post f. 2 decretum capituli refert factum 20 Aug. 1712 hoc: *Si è congregato il Rev^o capitolo . . . e si è proposto dal Sig. Can^{co} D. Agostino Rossini, come il R^{mo} pre Abate D. Erasmo [Gattola] ha fatto richiesta dell'urna [n. 5160] e piedestallo di pietra [n. 5198], propriamente quella che stava fissa nella Porta della Rosa vicino la Madonna del Riparo, per trasportarla nel sacro monasterio di Monte Casino. E perché la detta urna non porta utile alcuno alla nostra chiesa, e nel sacro monasterio di Monte Casino viene decorosamente, si è concluso affermativamente dalli Signori Capitolari. Addit Masciola: l'urna dedicata ad Ercole e l' piedestallo a L. Luccio Ummidio intanto non furono colà trasportati, perché si opposero il Sindaco e li cittadini.*

HERCVLI
SANCTO · SAC
P · POMPONIVS · NOE
TVS · VOTVM · SOL
5 AMICOS · ACC · BENE
· EGGIO · MARVILLO · ET
CN · PAPIRIO · AELIANO · CoS
L · D · D · D · K · IVL
P. C. 184

Recognovi descriptam ab Ambroschio, Philippo, Brunnio, Detlefseno. Accursius n. 2; Smetius qui vidit ms. Neap. p. 94, ed. 24, 14 (unde pendent Waelsch cod. f. 74; Pighius cod. Luzac. p. 76, cod. mus. f. 12; Panvinius fast. ad a. 937 coll. corrigendis; Manutius orth. 462, 24; Ligorius Neap. 35 p. 205, Taur. 16; Grut. 49, 5 ex Manutio et Smetio); schedula inserta cod. Ambrosiano A 55 inf.; Bongianelli Vat. 5237 f. 251. 254; Montfaucon cod. 1293 f. 87; Fabretti 367, 429 a P. Erasmo a Caieta monacho Casinensi (nempe Gattola) qui diligenter recognovit; Cafaro p. 130; Gattola p. 738 n. 14; Comus apud Mur. in epistula 17 Sept. 1740; Masciola f. 4; Vertechj p. 68; Romanelli *viaggio* p. 32, *topogr.* 3, 394; Grossi *scuola di Monte Casino* 1820 p. 13; Guarini *cippo di Casino* p. 17. Orelli 1547.

1 erasus fuit iam tempore Accursii: *il primo verso è cassato appositamente*, Christianorum opinor studio; legitur tamen legeruntque eum Smetius aliique recte. — 6 in. L et 7 in. C fere deletae sunt, supersunt tamen utriusque litterae vestigia agnita illo versu primum a Gattola, hoc primum a Bongianello; M·EGGIO ex interpolatione Panv. Man. (cf. Marini Arv. p. 402).